





1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.



DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA
De

REPRESALIIS.

QUAM

EX DECRETO ET AUCTORITATE AMPLIS-
simi Ictorum Collegii in Florentissimâ
Argentoratensium Academiâ,

PRO

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORI-
bus, privilegiis & immunitatibus
DOCTORALIBUS

ritè solennitèrque; obtinendis,

Sub Summæ Trinitatis presidio

IN PUBLICO ET SOLENNI EXAMINE
propugnandam suscipiet

M. MARCUS OTTO,
ULMENSIS

*A. d. 30. Maij, horâ matutinâ 7. &
loco consueto.*

℞ (:) ℞

ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ,

M. DC. XXIIX.

451
~~451~~

55

1629, 16.

REPEREVALIS

QUAM

IN DIBUS...

STIMIS IN UTROQUE JURE HONORI

DOCTOR ABBATI

ANNO DOMINI...

M. MARCUS OTTO

LEIPZIG

M. DC. XXX.



Quod felix faustumq; esse jubeat

Deus Opt. Max.

DISPUTATIONIS

De

REPRESALIIS

Prooemium.

Um non modò debitorum quorundam pervicacia tanta sit, ut in causa licet evidente convicti, propter locorum tamen distantias malitiosè sese subducant: sed & magistratus ipsi nonnunquam ad scelera fraudèsq; suorum connivere soleant: nemini jam dubium esse potest aut debet, quin ejusmodi remedia executiva, quibus malè meriti publicè, eorùmve nomine alij concives aut comprovinciales quicunq;, primà licet facie innocui, sicubi alia juris obtinendi ratio nulla superest, in nervum coguntur, malàque mansione ad pœnitentiam, justitiæ administrationem & satisfactionem debitam pulsantur; jure optimo admittantur: ne scil. homines fraudulentè ex impunitatis spe & magistratùs sui conniventia culpabilem in contrahendis debitis licentiam, inq; non solvendo iniquitatem consecuti, totas deinde regiones perfidè eludant, & adunco, quod ajunt, naso temerè suspendant. Inter ea verò remedia cum etiam Represalia numerentur; iccirco quæ ad earum naturam declarandam facere cum primis videntur, pro curtâ ingenij mei supellectile impræsenti- arum strictim brevitéq;, ut angustia temporis exigit, edisserã.

T H E S I S I.

Promiscuo vulgi usu Represaliæ adedè laxè accipiuntur, ut idem quod Pignerationes, quibus motu proprio & veritâ legibus audaciâ institutis, unus pro alio debitore & res unius pro re alterius apprehenditur, aliorùmq; possessiones vel quasi turbantur, valere

A puten-

putetur. Strictè verò & propriè sumptæ, ut hoc loco, denotant eju-
modi remediũ, quod præcedente causæ cognitione à supremo ma-
gistratu ad alterius magistratũ injustitiam reprimendam, adversus
hujus subditos conceditur.

I I.

Et hæ Represaliæ Gallis le droit de marque, jus marchæ
seu marcarum: quòd in finibus seu limitibus maximè exercentur:
Flandris & Belgis, letteren offte brieve van marcke: Anglis Wider-
namium: Latinis Repræsalia, Pressalia, Arresta & Clarigationes:
Græcis ἀνδροληψία ἢ ἀνδρολήψια dicuntur.

I I I.

Vocabulum earum cum sit exoticum atque è peregrino
idiomate assumptum, ab Italico Presa, quod capturam sonat, po-
tius quàm ab origine Latinâ derivatum esse creditur.

I V.

Definiri eadem, seu describi posse rectius, videntur hoc
modo: Represaliæ sunt manũ injectio vel impedimentum, à supre-
mo magistratu ad instantiam supplicantis concessum, quo ob ali-
quam causam legitimam, ex quali quali obligatione proficiscen-
tem, tertii alicujus extranei magistratũ subditi, aliòve titulo con-
juncti persona vel res executive præcluditur, quamdiu supplicanti
satisfactum, aut justitia administrata non erit.

V.

Causa efficiens Represaliarum remota, est jus gentium
illud, quod per ratiocinationem seu discursum suadet receptionem
alicujus juris, quod usus & humanæ necessitates exigunt.

V I.

Quemadmodum enim si justitia violatur aut negatur
cum injuriâ omnium; justa arma læsi induunt; unde belli origo &
captivitatum: ita si id ipsum cum injuriâ quorundam duntaxat aut
singulorum fiat, tum omnibus diligentissimè prius tentatis, Repre-
saliæ ad similitudinem justii belli concedi de consuetudine & com-
muni observantiâ solent.

V I I.

Intermedia Represaliarum causa, est iniquitas & negli-
gentia ejus magistratũ, qui suorum improbè facta & delicta sub
dissimulatione culpabili fovens, justitiam cum enormi aliorum ex-
traneo-

traneorum detrimento ac injuriâ denegavit, aut evidenter protraxit.

VIII.

Est enim hæc injustitia magistratûs tanta, ut non ipse tantum debitor supplicantis constituatur atque ad omnem utilitatem ei præstandam teneatur: verum unumquemq; etiam civium, municipum aut subditorum suorum, communionis quadam tacitâ obligatione, aded adstringat, ut capi à judice justo, & fortunarum suarum ferri dispendio, nisi satisfiat, possit.

IX.

Causa Represaliarum propinqua, est magistratus & dominus, cui non modò de gravamine subditi sui læsi plenè constat, sed & aded libera Reip. administratio competit, ut superiorem non recognoscat. Propriâ enim authoritate exercendæ non sunt: sed sicut in omni justo bello ejus præcipuè auctoritas necessaria est, qui id ipsum indicere potest: ita in Represaliis quoque ad hoc caput semper advertere debemus, ut eæ publico supremi magistratûs decreto judicialiter imponantur & concedantur.

X.

Magistratum autem suis hac in re præsidio esse, usque quaque convenit: tum quia publica quoque patriæ onera ac munera ferre, vectigalia annuumq; censum exolvere, gabellas & similes exactiones conferre coguntur: tum quia singulorum facultates & copiæ, divitiæ sunt civitatis, & quod civibus aut subditis singulis, idem totius Reip. opibus decedit.

XI.

Quamvis autem Represaliæ concedantur non per judicem Rei, sed per magistratum actoris vel creditoris: in casu tamen denegatæ aut non impetratæ à supremo contra debitorem justitiæ, magistratus, permittens Represalias, succedit in locum judicis competentis, qui justitiam exhibere nequiter detrectavit, aut malitiosè protraxit.

XII.

Cùm enim gens, quæ facit justitiam, possit genti injuriæ, vel in administrandâ justitiâ cessatrici, integrum regnum armatâ manu auferre: quidni jure Represaliarum, quæ justii belli

Species sunt, quosdam tantum ejus subditos, aut aliqua eorundem bona capere & detinere, quoad satisfactum aut justitia administrata sit, valeat?

XIII.

Materia, circa quam Represalia exercentur, sunt res & personae: (non quidem ipsorum Reorum: sed civitati, provinciae aut regno, in quo damnū datū aut justitia administrata non est, conjunctorum:) quarum illas quidem, si Represalia simpliciter permittā & indictā sunt, regulariterprehendere convenit: has vero tum demum, cum vel bonorum potestas esse non potest, aut atrox delictum ab ordinario Rei magistratu debito supplicio vindicatum non est, ad exemplum justī belli dstringere licet.

XIV.

Ex quibus constat, Represaliis adversus proprios subditos, conterraneos & concives locum non esse: nec eas unius principis inferioris subdito adversus alterius Principis, itidem sub majori imperio constituti, subjectum concedendas: sed oportere eos, contra quos conceduntur Represalia, forenses & extra imperii tutelam esse. Cur enim ad arma & rixam procedere patiatur princeps, quos potest jurisdictione suā componere? Ceterum, cum intra ejusdem imperii terminos constitutis, liceat adire superiorem, quando inferior justitiam denegavit; deest hinc justa Represaliarum impetrandarum causa.

XV.

Ubi simul & illud tenendum, eos, qui orti quidem ex eā provinciā, in qua jus nostrum consequi non potuimus, sunt: antè tamen, quàm Represalia decretā & denunciata sunt, alibi domicilium suum posuerunt; periculo Represaliarum non subjacere: utcunque aliās provinciales & incolae hoc modo accipiantur.

XVI.

Sunt etiam alii, quos vel certa & specialia summi principis privilegia, vel jura gentium communia à Represaliis eximunt, tutosq; praestant: veluti i. personae Ecclesiasticae, Clerici, Presbyteri, & Monachi. Quamvis enim Represalia ob denegatam à judice seculari justitiam, concedantur à judice seculari etiam adversus personas Ecclesiasticas: ea tamen neque quoad personas, neq;
quoad

quoad res suas tenebuntur: nisi pro admissis Episcopi (cujus superior adiri nequit) indictæ fuerint.

XVII.

Scholaribus deinde, sive studiosis literarum, horumq; nunciis immunitatem ab hujusmodi prehensionibus tribuit Imp. Fridericus I. Tum jure gentium Feciales, Legati, seu, ut vocant; Ambasiatores, à civitate aliqua ad principem aliamve Rempubl. missi; neq; in itinere, neq; in loco destinato capi aut detineri possunt: nisi aliorum res per eos exportentur.

XVIII.

Quartò eximuntur, qui sub salvo principis aut magistratus conductu, vel sub publicâ securitatis tesserâ eunt & redeunt. Idem quintò in mercatoribus, qui ad nundinas nostras veniunt: ut & sextò in iis, qui in jus vocantur.

XIX.

Mulieres quoq; & imbellis fœminarum turba: infantes: prægnantes: puerperæ: peregrinâtes religionis causâ: senes & in morbo cubantes: pastores: agricolæ, horumq; animalia, quibus arant & semina portant: & quidam alii personaliter neque capi, neq; detineri possunt: cum & in bellis olim pepercisse his Romanos legamus.

XX.

Ne autem fortè medicina sit asperior morbo; non statim ad querelas ejus, qui se alicubi per injustitiam & injuriam læsum esse contendit, neq; promiscuè & indifferenter concedendæ sunt Represaliæ: sed quemadmodum in omni justo bello præcipuè requiritur causa, quæ ad ipsum gerendum & indicendum necessitatem imponit, ubi de summâ Reipub. offensione & læsione depellendâ agitur: sic & Represaliæ tum demum censentur licitæ, cum justa ac legitima subest causâ, ejusq; cognitio judicialiter præcedit: qualis est denegatio aut protractio justitiæ.

XXI.

Ut autem denegatam vel protractam esse justitiam manifestè appareat: requiritur 1. ut debitum, propter quod petuntur Represaliæ, sit liquidum. Quandiu enim de debito adhuc litigatur, aut aliquem dare oportere, iniuste pronunciatum

A 3 est.

est; tamdiu etiam Represalia denegari debent: quia ubi non est substantia iustitiæ; ibi neq; qualitas negligentia, circa eam exhibendam commissæ, argui potest.

XXII.

Requiritur deinde, ut & reus evocatus, & iudex, qui superiorem non recognoscit, (modò eius copia haberi possit.) requisitus, spreverit frequentes interpellationes ac postulanti iustitiam manifestè denegaverit. De cuius rei certitudine cum principem, concessurum Represalias, plenè edoctum esse oporteat: nudis narratis, vel etiam juramento ipsius petentis non statur, sed ea ipsa doceri à supplicante publico instrumento debet.

XXIII.

Tertiò etiam requiritur, ne concedantur Represalia, nisi ipse debitor adhuc sit solvendo: tum quòd nullam videatur habere actionem, cui propter inopiam adversarii inanis actio est: tum, ut quæ inviti hoc modo pro verò debitore solverunt, ab eodem convicano suo repetere queant.

XXIV.

His ita expeditis, antequam Represalia concedantur, quoad processum requiritur ulterius, ut debitum seu res, ob quam iustitia denegata arguitur, non sit parva & exigua: sed adeò gravem atq; enormem contineat jacturam, ut in publicum quoq; redundet detrimentum, totiq; adeò Reip. per eandem læsionem quid decedat. Iniquum enim aliàs foret, ob unius læsionem modicam, totas statim gentes ad arma concitari. Magis autem expediret Principi vel magistratui, de suo læsis succurrere, quàm plurimos exponere periculo.

XXV.

Observandum præterea & hoc est, ut ad concessionem Represaliarum tum demum deveniatur, cum alia juris obtinendi ratio nulla superest. Quid enim aliàs opus esset remediis, extraordinariis cum jure & iudicio experiri licet? Quare expetenda quidem magis est decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo: sed confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore.

XXVI.

Requiritur deniq; etiam, ut supremus gravati princeps,

ceps; quemadmodum etiam in bello fieri solet, supremo eorum magistratui, contra quos petita sunt Represaliae, misso legato prius denunciatur, se, nisi iustitia civi suo administraretur, per fugium suum habiturum ad Represalias.

XXVII.

Finis Represaliarum respectu quidem magistratus creditoris, est commodum publicum. Ideo enim Represalia conceduntur, ne propter distantiam jurisdictionum inter tam multos principes atque Respublicas, ad scelera fraudesque suorum coniventes, pereat iustitia, cuius tanta vis atque necessitas est, ut sine ea nec qui maleficio & scelere pascuntur, vivere possint: & ut pax habeatur, quae esse nulla potest, nisi sit necessaria solutio rerum creditarum: ut denique juris & iudiciorum aequitate suum quisque teneat, & fraudandi spe sublata, solvendi necessitas consequatur.

XXVIII.

Respectu vero magistratus negligentis & iniqui, finis Represaliarum est, ut iustitiam, quam laesi, seu forensis & extranei odio denegavit aut protraxit; subditorum suorum, ab altero magistratu apprehensorum, amore tribuat; ad eamque necessitatem adigatur, ut cupiditate liberandi cives suos, fontem condemnent iis, qui ex alterius vera obligatione succedanei & piaculares facti sunt: simulque doceatur, creditoris ex damno & iniuria suam Rempublicam contra naturalem aequitatem non locupletandam, neque creditori vel magistratui eius hoc fraudulento lucro vel cessatione iniquam conditionem inferendam esse.

XXIX.

Effectus ratione creditoris vel laesi est, ut captis jure Represaliarum impetratarum hominibus aut rebus, haec quidem iudici praesententur, & vitandae fraudis dolive gratia confecto inventario consignentur, atque tamdiu apud magistratum detineantur, donec creditori vel laeso satisfactum & iustitia administrata sit, vel, solutione non secuta, per eundem magistratum eadem aestimata vendantur, indeque creditori satisfiat: & hyperocha, detractis omnibus impensis judicialibus & captionis legitimis, reddatur dominis: homines vero prehensi custodiantur, non
quidem

quidem ut pro pignore habeantur aut servi carceris fiant: sed ut
ut tamdiu, donec solutio sequatur, detineantur.

XXX.

Ratione verò captorum & afflictorum effectus Re-
presaliarum est, ut repetant & consequantur, quicquid occasi-
one ipsius Rei principalis & huiusmodi prehensionis amiserunt:
& pro restitutione damnorum ac interesse vel actionem negotio-
rum gestorum utilem, vel actionem ex statuto & consuetudine
competentem, vel conditionem ex lege, vel saltem imploratio-
nem officii iudicis ex communi Dd. traditione instituere contra
reum principalem, convicanum suum, queant.

XXXI.

Operantur eadem hoc quoq; , ut ita afflicti obliga-
tum quidem etiam habeant magistratum suum, ad omne damnū
& lucrum absens restituendum, quòd solutionem fieri antea non
procuraverit: si tamen quod eis præjudicium ex huiusmodi ma-
gistratū vel machinatione vel negligentia accedit; id ipsum ob
malam suam electionem patiantur: cum debuerint tales sumere,
ne viderentur ipsi tantum velut innoxii esse, per superiorem au-
tem & præpositum delinquant atq; furentur: quod magis turpe
est, ut & participes & quasi patronos iniustitiarum sumant.

Atq; his de materia Represaliarum strictim excerptis,
reliquis autem in commodius tempus reservatis,
Deo Opt. Max. si, tlaus, honor & gratiarum
actio in sempiterna sæcula.

TRA SSBurg, Diss., A627-29



Sl

VD 77







DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

De

REPRESALIIS:

QUAM

EX DECRETO ET AUCTORITATE AMPLIS-
*simi Ictorum Collegii in Florentissimã
Argentoratensium Academia,*

PRO

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORI-
bus, privilegiis & immunitatibus

DOCTORALIBUS

ritè solennitèrque obtinendis,

Sub Summæ Trinitatis presidio

IN PUBLICO ET SOLENNI EXAMINE
propugnandam suscipiet

M. MARCUS OTTO,
ULMENSIS

*A. d. 30. Maij, horâ matutinâ 7. &
loco consueto.*

✠ (:) ✠

ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ,

M. DC. XXIX.

451
~~XXXX~~

55

1629, 16.